

Q. D. B. V. 20.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

**PRÆSTANTIA  
MEDICAMENTORUM  
SIMPLICIUM ET GALENICORUM  
PRÆCHYMICIS,**

QVAM  
RECTORE HUJUS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,**

SACRÆ CÆSARÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO IN-  
TIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MO-  
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE  
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO

ERRI PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET EXPERIENTISSIMI,  
**DN. JUSTI VESTI, MED. DOCTORIS,**  
PATHOLOG. ET PRAXEOS PROF. PUBL. ORDINAR. FACULT. MEDICÆ  
ASSESSORIS GRAVISSIMI,  
DOMINI PATRONI AC PROMOTORIS OMNI HONORIS CULTU  
ÆTERNUM PROSEQVENDI,

PRO GRADU DOCTORALI  
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME CONSEQVENDIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**DAVID GOTTLIEB Seyler / RAGEVVIZENS. MISNICUS,**  
DIE XXIV. JUL. A. MDCCXIII.  
IN AUDITORIO MAJORI, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENR. GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

Pharmacol.

g. n.

135.42.

*Med. med. 29*

VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS AC GENEROSIS  
DOMINIS,  
DN. SIGISMUNDO  
AUGUSTO  
DE ARNIMB auf Hohen/  
ET  
DN. JOH. ADOLPHO  
DE BRÜCK auf Daubitz:

UTI ET

VIRO NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO  
DOMINO  
JOHANNI GEORGIO  
TISCHERO, JCTO,  
POTENTISSIMI REGIS POLONIÆ ET ELECTORIS  
SAXONIÆ PRÆFECTO IN TRACTU COL-  
DICENSI GRAVISSIMO,  
DN. PATRONIS ac FAUTORIBUS SUI  
OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQVENDIS,  
HOCCE SPECIMEN INAUGURALE  
SACRUM ESSE VOLUIT  
AUTOR:



§. I.



Ta comparati sunt plerumque animi hominum, ut quotidiana, obvia, trita brevi tempore apud eosdem vilescant, & non nisi in rara exotica affectu suo ferantur, cum tamen naturæ genio multo convenientior sit simplicissima & brevissima, quàm quæ per ambages ducit, via.

§. II. Si itaque, qui in principiis Philosophiæ exornandis, in Physiologia, Pathologia nimis extendenda, expoliendaque nimis copiosi fuere, in medendi etiam methodo plures, quam quibus opus erat, regulas concinnarunt, apparatus vero medicamentorum ita adauxerunt, ut hodiè non minor certè, si non major doctrinæ ac prudentiæ laus eum maneat, qui superflua pharmaca à necessariis selectisque separare ac secludere novit.

§. III. Præprimis meritò deploranda est in eo Praxeos Medicæ facies, quod cum nulla simplicium medicamentorum penuria adsit, his tamen

maximam partem neglectis, ad composita & ignis  
tortura multum alterata vulgò confugiatur.

§ IV. Taxârunt equidem morem hunc in  
Praxin Medicam à *Paracelsi* potissimum temporibus  
receptum, jam multi Medicorum, & non omnes  
pari successu, ut proinde non indigna hæc nobis  
visa fuerit materia, quam loco disputationis inau-  
guralis ventilemus.

§. V. Debet autem hæc ipsa Medicamen-  
torum Chymicorum receptio natales suos corru-  
ptæ Veterum per Neotericos Pathologiæ. Cum  
enim illis nil nisi de morbis à plethora, cacochymia  
ac intemperie provenientibus notum esset, simpli-  
cia ubique his morbis debellandis sufficiebant phar-  
maca.

§. VI. Ex quo autem *Paracelsus* cum aëclis  
suis miram illam Pathologiam de substantiis mor-  
borum, Tartaro aliisque id genus næniis condidit,  
*Helmontius* deinde fermenta, & alia salia sexcenta  
pro causis morborum ventilârunt, igne Chymico in  
concreta naturalia debachari inceptum est, ut tot  
spicula, tot anguli ad discindendas & saturandas  
materias morbosas necessaria extorquerentur.

§. VII. Quis itaque ab eo tempore inciden-  
tium, saturantium, obtudentium, præcipitantium,  
absorbentium, edulcorantium numerum in Artem  
Medicam in vectum constituet? Quis omnes spiri-  
tus, Tincturas, Essentias, Elixiria, magisteria, sa-  
lia, & sic porrò recensere poterit, quibus in debel-  
landis

landis morbis hodie utuntur Medici. Quam strenuè se hic gesserunt, qui ex Auro & Argento atque Antimonio essentias, qui prima entia veneris, lapides Butleri, sulphura  $\text{S}$  li & sexcenta alia, imo magnum illum Sophorum lapidem elaborare conati sunt? Et quot non funera congesta, quæ non strages editæ, antequam verum certumque pretium rebus his statuebatur.

§. VIII. Nimis arte jactabundus est Vir Celeberrimus *Olaus Borrichius* in *Tr. de Ortu & Progressu Chymie* talia scribens: *Nec aquam quidem stillatitiam, tam necessarium pharmacis vehiculum, nec oleum ad balsama generosum, nec salem ullum plantarum, tot febrium debellatorem, nec spiritus ad corroborandum excitatissimos, cessante Chymiâ quisquam produxerit.* Et paulò post: *Quodsi ergò caput dolet, succurret Chymia, & provida medendi methodo duce efficacissima Lunæ Tinctura; si cordi languor obrepit, medebitur potulentus solis liquor; si hepar, lienem, pancreas, mesenterium oppillaverint pertinaces humorum discurrentium grumi, nil Martis extracto efficacius, nil minus periculosum.* Si renes aut vesicam tentaverit obstructio, expeditur à spiritu veneris; si *Necpolitana Lues* totum corpus obsederit & invaluerit morâ, conclamata jacet salus ægri, ni fumi succurrerent Mercuriales, si utero molesta est iniquies, pacabitur succo jovis; si membra ex terrore in tumorem elevârit inflammatio, à soluto saturni sale innoxium spondetur auxilium. Quis ardorem febrium coercet, nisi spiritu salis, spiritu vitrio-

li, Spiritu sulphuris in consilium vocato! Quis facile  
 accessionum initia sistit sine salibus plantarum Lixiviosis?  
 quis animi deliquia sine cephalicis spiritibus suspendet?  
 actum est de remediis generosis, jucundis, delicatis, nisi  
 Chymie supplicemus: quis fert hodie, nisi exsurdati ex-  
 oletique palati in gratas illas Hippocraticas potiones, illa  
 fastidiosa Galeni cathartica?

§. IX. At quæso quis crediderit, Veteres non  
 sanare potuisse ejusmodi morbos ejusmodi specio-  
 sis remediis destituti. Nemo fortè in medium pro-  
 duci potuerit, qui è morbis capitis, Tincturæ Lu-  
 næ usu, è Cordis Langvore, auri potabilis potu e-  
 luçtatus fuerit. Quam heteroclitos præparata  
 Martialia effectus sæpius edant, non ignotum esse  
 potest iis, qui in Praxi Clinica versantur; & quem un-  
 quam renum ac vesicæ morbis infestatum restituit  
 veneris spiritus? Mercurium morbum Gallicum  
 curare, inficias non ibo; at nulla hic præparazione  
 chemica indiget, cum ungenta mercurialia ex quo-  
 tidiana Gallorum, Anglorumque Praxi sufficient, i-  
 mo tutissimam medendi methodum ostendant. Ne-  
 que Jupiter utero, neque Saturnus inflammationi-  
 bus externis ita succurrit, ut inter experimenta nu-  
 merari mereantur. Simplex nitrum in omni æstu  
 febrili extingvendo omnes spiritus salis, vitrioli, sul-  
 phuris longo intervallo post se relinquit. Quis non  
 febres novit citius & constantius curari amaris, ut  
 Cort. peruviano, similibusque, quam salibus?

§. X. At, ut eo melius vana hæc consilia Chy-  
 mico-

micorum elucescant, omnes remediorum Classēs, secundum veræ Pathologiæ fundamenta & inde effectivas indicationes, eâ, quâ par est, brevitate perlustrabimus. Ex Physiologia tum à priori tum a posteriori demonstrari potest, Sangvinem non solum abundare posse, sed & sæpissimè actu abundare. Homines tenerioris ætatis, quorum corporis habitus ad *adultum* nondum pervenit, magis dilatatas expensasque fibras habeant necesse est, ut nimirum partes nutritiæ ad intima pororum interstitia appellere & intromitti possint. At expansionem hanc quis negabit sanguine uberiori perfici. Jam nota est vis consuetudinis circa actiones etiam vitales. Notum insuper est, plurimos homines plus comedere, & consequenter chyli ac sanguinis generare, quam consumatur actu illo humorum circulatorio, & dissolutorio, ceu ex frequentibus, quæ cum euphoria contingunt, hæmorrhagiis, inter alia clara elucescit.

§. XI. Jam cum hæc sanguinis abundantia ita comparata sit, ut naturam in actionibus suis vitalibus & animalibus facillimè turbare possit, proportionem movens inter & movendum sublatâ, sanguine per fortuitas occasiones nimis turgefacto, circulationem & secretionem rerum noxiarum impediendo, & sic porro, quid quæso prius ac simplicius erit, quam quod plethora variorum morborum causa sit.

§. XII. Cum autem huic ipsi sanguinis abundantia neque à natura, neque ab Artifice statim succurratur,

curratur, è contrario malum in quibusdam sic satis diu toleretur, imò diætâ inconuenienti, v. gr motus & potus defectu, augeatur, sangvinem ac reliquos humores spiffescere sponte suâ sequitur. Hæc autem spiffescencia cum secretionem & excretionem materiarum noxiarum & ex corpore proscribendarum in visceribus multum impediat, & inde Cachexia quædam corporis & actionum vitalium generetur, inter causas morborum præcipuas eandem numerari debere, ratio ipsa dictitat.

§. XIII. Et hæc vitia materiam concernunt. At cum communi veluti hodiernorum consensu quædam naturæ *ἀνοργαλία* admittatur, quæ mala illa intrinseca genio suo, qui ad corruptionem corporis promptè tendit, non diu relinquit, sed potius motus ad depellendum hostem convenientes instituit, adeò ut plures morborum circumstantiæ, quas veteres pro symptomatibus venditârunt, secundum hanc nostram Pathologiam pro conaminibus naturæ activis & salutaribus motibus habendæ sint, altero semper oculo in quibusvis morbis ad *ἀνοργαλίαν* hanc perspiciendum esse, concluditur. Vanus, imò noxius esset, qui conamina hæc salutaria tollere auderet. Attamen, cum nihil in corrupto nostro per lapsum statu, perfectum sit, alia adhuc se circa pathologiam exerit circumstantia, quo majorem in Therapia attentionem meretur, quam omnes reliquæ morbosæ corporis nostri dispositiones. Nempe, intentio illa naturæ sæpius vacillat, tum in excessu,



cessu, tum in defectu, tum inordinata ratione temporis, loci, aliarumve circumstantiarum applicatione motuum, nec ideò vani illi sunt, qui tergiversationes illas in omnibus morbis contingere afferunt, pari certè nævo, qui omnes actiones nostras rationales concomitari solet.

§. XIV. Adeste nunc Medici, qui nil nisi Chemica in morbis sanandis remedia admittitis. Quid solidi in tollenda sanguinis abundantia præstabitis. Equidem non nescio, plerosque vestrum eò dementiæ progressos fuisse, ut dari plethoram inficiaremini. At quid quæso ad nostras supra allegatas rationes, quid ad Celeberrimi *Stablii* aliorumque commentata respondebitis? Ubi sunt præstantes illi Alcahestici tui liquoris effectus insanandis morbis, quos plethora generavit, *Helmonti*, qui omnem Venæ sectionem fusque deque habes? Nec quidem ancillæ tuæ Pleuritidem, morbum quem barbitonfores nostri venæ sectione tempestivâ ac largâ abigunt, curare potuisti omnibus tuis arcanis, ignote *Helmonti*, cujus domum, paucis à morte tuæ annis, qui proxime habitarent ignoravere, ut *Bechero à Kraftio* relatum fuit.

§. XV. Nullam plethora medicationem admittit, nisi Chirurgicam ac diæteticam, & vani irritique sunt omnes illi, qui huic morbo pharmaca quærunt. Vanus fuit *Paracelsus*, qui helleborum nigrum sanguinem consumere jactavit. Neque, quod minus est, medicamina suppetunt, quæ

B

na-

naturam in excitandis hæmorrhagiis adjuvant. Quis quæso est, & phyllida solus habebit, qui narium hæmorrhagiam, qui fluxum hæmorrhoidalem, qui menses, qui Lochia pharmacis suis restituere valent. Longissimè hîc absint Chemicis cum Chemicis suis spiritibus, Elixiriis, Tincturis, si enormes humorum turgefactiones, infarctus, inflammationes, & id genus alia avertere velis. Nec ignotus est in vulgus croci ac Hellebori ceu simplicium heteroclitus in aperiendis hæmorrhoidibus effectus, myrrhæ & sabinæ in mensibus ciendis.

§. XVI. O quam misera eorum est conditio, quibus Medicos ejusmodi nancisci datur! Ubi sunt illi novem, quos spiritus salis ammoniaci, spiritus C. C. Æia volatilia oleosa Sylvii à spissitudine & grumositate sanguinis, qualis in sorbuto est maxima, liberârunt. In vulgus hodie notum est, quod antiscorbutica temperatiora, & ea in substantia data, plus profint, quam horum spiritus & essentiæ. Maximam lymphæ in lue venerea viscositatem peccare ex pathologia constat. At quam ingenti numero distant Chirurghi, qui huic morbo nil nisi temperatiora lignorum decocta & crudi Mercurii in unguentis usum optimo cum successu opponunt, ab iis, qui acriora illa lignorum antivenerereorum extracta, & ðium innumeris laboribus Chemicis defatigatum præscribunt.

§. XVII. In cachexia & viscerum obstructionibus ac aliis depravatis actionibus tantum abest,

est, ut juxta *Quercetani de Gravissimis Morbis capi-  
tis. cap. 14.* effatum Tincturis suis validis ac fixis  
edomentur à Chemicis, ut potius magis magisque  
confirmentur, aut aliæ heteroclitæ anomalix super-  
inducantur. Quid verius est, quam quod hypo-  
chondriaci plures ex abusu medicamentorum che-  
micorum in scorbutum præcipitentur, quod infla-  
tiones viscerum ex recepto Crocorum martialium  
in iisdem usu in plenarios infarctus & obstructio-  
nes Scirrholas transeant, quod, quibus hepar san-  
guine biliosiore inflatum est, ex salium volatili-  
um usu, præcipuè cum regimine diaphoretico, Ar-  
thritidis vagæ aut inflammationis cujusdam inter-  
næ pœnam luant.

§. XVIII. Qui visceris alicujus exulcera-  
tione, phthisi aut hecticâ laborant, plurimis reme-  
diis Chymicis nil nisi mortis accelerationem re-  
cipiunt. Tam egregio encomio divulgatum *Pote-  
rii antihæcticum*, cum sensibilibus adstringat, in  
morbo, ubi, ne visceris ulcerati repurgatio impe-  
diatur, omnis adstrictio abesse debet, quid aliud  
juxta *Celeberrimi Stahlii* effatum erit, quam Hæcti-  
corum Epitaphium. Tincturæ illæ antiphthificæ  
*Gramanni, Michaelis* aliorumque ex adstringentibus  
concinntæ non certè alium quoque, quam lethi-  
ferum habebunt effectum. Balsama illa sulphuris,  
Tincturæ balsami peruviani nigri, de copaiva simi-  
liaque, cum exacerbationes febriles & inflamma-  
tiones visceris affecti ad sensum adaugeant, non

possunt non Patientes ad tumulum dare præcipites.

§. XIX. Nonne igitur longè melius is partes Medici Experti & Conscientiosi tuebitur, qui in Cachexia, sepositis plurimis remediis chemicis, ex Classe vegetabilium leniter resolventia & aperientia in decoctis aut extractis, interpositis blandis laxantibus aut diureticis, discutientibus, etiam quorum omnium copiam suppeditat regnum vegetabile, usibus suis medicis adaptat, qui in viscerum ulcerationibus Decocta herbarum sine acredine balsamicarum, æstu prius febrili mitigato, & simplicissima alia remedia omnibus ante dictis speciosis anteponeit, & sic ad minimum, dum juvare intendit, plus non nocet.

§. XX. Quod si demum ad motus naturæ anomalos progressum faciamus, tam ratione excessus, quàm defectus ad duo hic remedia respiciendum esse Praxis dicitur, nimirum aut ad discutientia vel antispasmodica & tonica generalia aut discutientia & tonica specifica. Et quotnam sunt ex horum Classe remedia, quæ producunt Chemicis? Summum arcanum antispasmodicum olim erat spiritus Oli volatilis & venditabatur pro tali ab omnibus chemicis, de quibus tamen adhuc in dubio positum est, an parare sciverint. Hodie elaboratio spiritus hujus nemini non nota est, & nemo tamen vel minimam vim antispasmodicam in eo deprehendere potuit. Tinctura Lunæ, prima entia veneris, sulphura vitrioli anodyna &c. adhuc in ab-  
scon-

condito latent ac proinde etiam eorundem efficacia. Tincturæ Antimonii nostratium & forte omnes, quas nunquam novit mundus Chemicus, vix ea aut certe non plus in spasmodicis deliniendis præstant, quam Cinnabaris vel vulgaris, vel antimonii, vel nativa, ut reliqua taceamus.

§. XXI Neque de remediis tonicis & roborantibus plus nobis prospexit chymia, si effectum respiciamus. Æternum illud aurum potabile, infinitæ Solis Tincturæ, num tantum præstant, quantum unicus aureus nummus in marsupio egeni? De Tinctura Coralliorum quanta non Encomia prædicavit vulgus Chemicorum, & quod insuper modis nec torfit concretum hoc, ut pretiosum hoc nectar funderet. Sed irrita omnia. Posteaquam *Langelottus* oleo fœniculi, *Junckius* oleo anisi, *alii* Cerâ colorem coralliorum rubrum separârunt, absque tamen singulari effectum inde observato, rubore suffusi fuere, qui nâniis his delectabantur.

§. XXII. Econtrario, quid vino, illo Deorum nectare, in viribus roborandis præstantius est? Aromata tam nostratia, quam exotica neutiquam quoque segniter analeptica sunt, & si vel maxime Chémico igne producta eligere velis, solæ  $\nabla$ æ destillatæ herbarum & florum fragrantium aromatumque plus analepseos præstabunt, quam omnes species lætificantes *Rhâsis*. Inter nervina plures herbæ nervinæ & Gummi resinæ eximiam virtutem tonicam possident, &  $\Theta$ ia volatilia, nisi prudentissimè ad-

hibeantur, licet utique efficaciter tonica sint, plus tamen sæpius damni, quam emolumenti dabunt. De Martialibus in specialibus casibus commendatis idem iudicium ferendum & cruda Martis limatura aut tenerrima ejus portio in certis quibusdam crocis separata tutius & efficacius hic operabuntur, quam omnia reliqua ejus præparata.

§. XXIII. Circa specifica res magis clara est, quod illa, quæ ignis torturam experta sunt, omnem vim specificam amittant. Sive enim eorum virtutem in figura particularum, sive in quadam motus specie, quam Archæo nostro imprimere valent, quæras, ex utraque parte non nisi inalterata operari poterunt. Quod autem ejusmodi specifica remedia utique dentur, & sana ratio, & experientia rerum magistra confirmant, neque ii etiam, qui loco naturæ severas mechanismi leges stabilire cum *Boyle* ausi fuerunt, denegare potuerunt. Apud Italos in vulgus notum est, scorpionum ictus ab ipsis scorpionibus vulneri impositis, Sangvine etiam ipsorum applicato protinus sanari, alias lethiferos. Et quem nostrum fugit, morsum canis rabidi sanare pilos ejus vulneribus impositos, hepar itidem vel cor comestum.

§. XXIV. Cum autem ad citam tutamque morborum plurimorum curationem opus sit specificis, eorundemque penuria tot affectus insanabiles relinquat, sua sponte sequitur, Medicos Practicos plus operæ in cognoscendis & perscrutandis remediis

diis

diis simplicibus , quam in componendis pharmacis spagyricis locare debere , adeoque eos qui simplicium virtutes probe norunt , omnibus remediis Chemicis facile supersedere posse.

§ XXV. Non possum non hâc occasione laudare & simul taxare , nonnullorum institutum operamque. Laudo institutum eorum , qui student in naturam vel vegetabilis vel animalis , vel mineralis concreti inquirere , ejusdemque virtutes Medicas examinare. Ast vitupero multorum operas , qui virtutis specificæ longè oblitî , nil nisi formulas , quas ingredi legerunt hoc concretum , ex centum Authoribus conscripserunt , cum tamen sæpius vix vigesima pars concreti hujus formulam constituat , adeoque fungum pro Cerebro habeat , necessè sit , qui vigesimæ sæpius huic grani parti effectum quendam tribuere velit.

§ XXVI. Non eo quidem inficias , in Medicamento etiam composito inesse posse vim quandam specificam , cum affectus quoque compositi dentur , contra quos diriguntur. At planè confido , paucissimos reperiri Medicos , qui , ut tum theoriæ , tum praxeos circa specificorum virtutes inexpertes , ex tribus ingredientibus formulam aptam concinnare possint , ne dum ex viginti , quibus sæpius abundant *Recepta Medica*.

§ XXVII. Quæ cum ita sint , cui usui inseruit tanta remediorum farrago in officinis nostris obvia , tot compositionum myriades , tot spiritus , es-

sen-

sentia, Tincturae, pulveres, fyrupi, Conservae & similia, & quod praecipuum est, unde Medicus rebus suis recte consulturus, veram ejusmodi simplicium cognitionem hauriet? Opus hic erit Physices verosimilioris studio, attentâ meditatione, observatione, Lectione. Medicus ejusmodi non verebitur cum aliis Medicis Practicis, qui rerum suarum satagunt, frequentiores miscere literas, & quod potissimum erit, sub rationali circumspectione quotidie nova in aegris suis experimenta instituet, & sic verum esse comperietur, non magis absurdum dari Medicum, quam qui ex libris aegros suos sanare intendit, verissimum autem, quod remedia simplicia & ut vocantur *Galenica*, omnibus Chemicis palam longè praecipiant, quod notent, quorum interest.

T A N T U M.

---

**D**Um cursum felix absolvisti studiorum,  
 Mi Fautor, cernis culmen honoris ibi,  
 Celsus ubi Musis hoc Signum tradit Apollo,  
 Quò Te per dignum, jam tua scripta probant.

In honorem  
 Nobilissimi Domini Doctorandi  
 hæc pauca scribebat

PRÆSES.



**J**Am Tibi, qui Medicam retulisti sedulus artem,  
Conatusque Tuos perdoctâ voce probasti  
Et scriptis, spondet felix Medicina Brabea.  
Sic comitem fida se jungit Fama labori  
Nec spes frustratur, sectantes ardua, constans!

*Paucis hiscè Nobilissimo Domino  
Doctōrando de novis Honoribus  
gratulari voluit*

JOANNES PHILIPPUS EYSELIUS,  
Phil. & Med. Doct. Anatom. Chi-  
rurg. & Botan. Prof. Publ. Facult.  
M. dicæ Assessor Ordinar. P. L. C.

---

**S***ic fortuna juvat, si quisquis in arte peritus  
Et confert sua multo præmia digna labore?  
Hanc sentit SEYLERUS, doctus in arte Meden-  
tum,*

*Atque suâ in Praxi certè firmatus opimâ,  
Dum confert huic hosce honores noster Apollo  
Promeruitque suo dudum quos ille labore.  
Gratulor hinc Tibi, sit mens sana in corpore sanô.  
Sit felix porro Tua Praxis Numine ab Albo!*

*Clarissimo & Experientissimo Domino  
Doctōrando hiscè adgratulari  
voluit*

LUD. FRID. JACOBI, D. Elect.  
Moguntini Archiater, Professor  
Chym. & Assess. Facult Med. Ord.  
&c.

C

SEI-

**S**EYLERUS NOSTER regnum vegetabile laudat,  
Permanet huic etenim præcipuum pretium:  
Præcipuum pretium, laudesque, decusque mane-  
bunt

SEYLERI CELEBRIS, qui benè tractat idem.

*His brevibus equidem, sed prolixiori animi  
benevoli affectu exaratis lineis Nobiliss.  
atque Experientiss. Dominum Doctoran-  
dum SEYLERUM, Fautorem suum  
Colendum, Cathedram Inauguralem  
fausto cum omni conscendentem comi-  
tari voluit, quævis prospera ex intimis  
cordis penetrabilibus simul apprecatus*

HIERONYMUS Ludolff / Phil. & Med. D.  
Fac. Phil. Assessor Ordin. & Prof. Publ.  
Mathem. ac Practicus Erfurtenfis.

---

**Q**Væ, SEYLERE, Tibi nunc ducis fila? Ge-  
rana  
Hæc admiratur, ductaque rite probat?  
His filis Tibimet devincis, FAUTOR AMANDE,  
Et Spartam, & Martham, quas Tibi grator  
ovans.

f. f.

M. JOH. CHRISTOPH. Hübler /  
Olemnicensis, P. L. C. & Ædis  
Prædicatorum Erfurti ConR.

Inter-

**I**Nterdum premitur viget ast sub pondere palma  
Livor virtutem non superare valet.  
**C**uncta solet crebrò Momus taxare severus  
Quæ tamen haud potis est reddere grata sibi.  
Evenit hoc Musis, studet has contemnere vulgus  
Palladis, irrident inclyta castra Geræ.  
**N**ititur haud minus conatum Docta Corona  
Frangere quem non sat facta probata queunt.  
Ast opus egregium si vult laudare Magistrum  
Muffitat hic livor garrula lingua filet.  
**S**umme Patronorum Decus, ac mi Fautor amande,  
Cede lubens pennæ prendere fata tua!  
Imbueras animum divino dogmate, verbô  
In cathedrâ poteras corda rigare piô.  
**I**nsuper Ars placuit menti Pœonia præstans  
Et medicas ægro scis adhibere manus.  
**H**erbarum fatis est subjecta potentia semper.  
Hac ægrotantes arte levare tenes:  
**M**orbos visceribus collectos dissipat omnes.  
Fausa manus subito dexteritate malos.  
**F**as igitur cingant Musarum tempora circum  
Seyleri docti Laurea summus honor.  
**G**ratulor ex animô de tali luce beatâ  
Quâ sequitur studium gloria grata comes  
**A**pprecor ac pariter sis Æsculapius alter  
Quem Medici decus in secula cana manet.  
**V**itaque contingat Tibi felix tarda Galeni  
Inficiat nigras alba Senectæ comas.

Hæc in honorem celeberrimi sui FAUTORIS  
canere gestiebat

**JOHANNES FRIDERICUS SCHMIDIUS,**  
J. U. Cand. & Not. Publ. Cæs.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.